

# EPISTULA LEONINA

## CV

HEBDOMADALE  
 PERIODICUM LATINĒ SCRIPTUM,  
 QUOD ĒDITUR  
 E DOMO EDITORIĀ INTERRETTIALI  
 CUI NOMEN EST  
**LEO LATINUS**



<http://www.leolatinus.de/>

N.B.! EPISTULAS LEONINAS ACCIPIS **G R A T I S** ET **S I N E ULLĀ OBLIGATIONE**. NAM LEO LATINUS PUTAT HOMINIBUS LATINAM LINGUAM DISCENTIBUS AUT DOCENTIBUS CORDI ESSE VERBA LATINA. **SI TAMEN TALES EPISTULAS ACCIPERE NON VIS, RESCRIBE HOC NOBIS: TUM STATIM NOMEN TUUM EX INDICE ACCEPTORUM TOLLEMUS.**

HŌC TEMPORE DUO FERĒ MILIA HOMINUM LATINĒ DOCTORUM ACCIPIUNT EPISTULAS LEONINAS ELECTRONICĒ MISSAS. EPISTULAS LEONINAS I-XCVI INVENIES IN INTERRETI SUB HAC INSCRIPTIONE, QUAE SEQUITUR:

<http://ephemeris.alcuinus.net/leonina/>

MAXIMĒ ID CURAMUS, UT COPIAM VERBORUM LATINORUM CONVENIENTER AUGEAMUS ET TEXTŪS MODERNOS CUIUSVIS ARGUMENTI QUAM OPTIMĒ IN LATINUM SERMONEM CONVERTAMUS.

ROGATUR, UT MANUSCRIPTA MITTANTUR VIĀ ELECTRONICĀ. MENDA SIVE GRAMMATICA SIVE METRICA, QUOAD FIERI POTEST, TACITĒ TOLLUNTUR.

EN HABES EPISTULAM LEONINAM  
**CENTESIMAM QUINTAM (105) !**

## ARGUMENTA

<b>1. THEOBROMATOLOGIA (II).....</b>	<b>05-13</b>
<b>2. DE ENERGIA NUCLEARI (<i>Paulus Kangiser</i>) .....</b>	<b>15-16</b>
<b>3. CREPUSCULUM. Fabula scientiae ficticiae (<i>Marcus Cristini</i>)....</b>	<b>17-20</b>
<b>4. ECHUS VOCES.....</b>	<b>21-22</b>
<b>5. SEPTIMANA LATINA.....</b>	<b>23</b>
<b>6. CERTAMEN LATINUM SALESIANUM MMVII.....</b>	<b>24-25</b>

**LEO LATINUS OMNIBUS HOMINIBUS LATINITATEM AMANTIBUS  
SAL.PLUR.DIC. S.V.B.E.E.V.**

***Cara Lectrix, Care Lector,***

*maximē gaudeo, quod mihi licet Tibi offerre Epistulam Leoninam centesimam quintam.*

*In dies Pentecostales optima quaeque! Spero fore, ut his diebus sollemnibus quadamtenus vaces huic Epistulae perlustrandae.*

Pancraticē vale et perge mihi favere!  
Medullitus Te salutat  
Nicolaus Groß



<http://www.leolatinus.com/>

**LEO LATINUS**

Senden ex oppidulo Bavariae Suebicae, d. ,  
**die Dominico Pentecostali 15. m. Mai, a.2016**



**ADORA QUOD INCENDISTI  
INCENDE QUOD ADORASTI !**

**REMIGIUS REMENSIS  
(ca. a. 436 - 533)**

**GREGORIUS TURONENSIS, Historia Francorum II, 31** Mitis depone colla, Sicamber: Adora quod incendisti, incende quod adorasti!

Remigius dicitur Festo Nativitatis Christi a. 497 (498? 499?) Chlodovechum et tria milia Francorum baptizavisse. Quid Remigius Apostolus Francorum diceret si nunc videret episcopos Germaniae hodiernos? Isti mandatum pentecostale confratresque martyres fidei oblii de dialogo cum mahumetanis faciendo deque meschitis aedificandis blaterare non desinunt. Fortasse Remigius – ut utar verbis Asterigis – in sepulchro circumrotaretur.

**ECCE FABULA ROMANICA ILLUSTRISSIMA****Johann Wolfgang von Goethe****WERTHER IUVENIS QUAE PASSUS SIT*****(Die Leiden des jungen Werthers)*****QUAM FABULAM IN LATINUM CONVERTIT****Nicolaus Groß****LEO LATINUS**

<http://www.leolatinus.com/>

CD ROM pdf

€ 38,90

Hic discus compactus textualis constat 38,90 € et directē per epistulam electronicam mandari potest a domo editoriâ, quae appellatur LEO LATINUS: SPQR@LEOLATINUS.COM TOLLE LEGE !

# THEOBROMATOLOGIA SIVE HISTORIA CACAONIS ET SOCOLATAE (II)

**»POTUS ISTE NON FRANGIT IEIUNIUM«**



**PIUS V. (\*1504, PAPA 1566-72) ASPECTAT  
PROELIUM PROPE NAUPACTUM (*Lepanto*) FACTUM,  
QUOD AB ANGELO EXPLICATUR**

**SOCOLATA QUOMODO INVENTA SIT<sup>1</sup>**

.... Sumus anno 1569. Pius V. Papa sedet in throno suo purpurato Sedis Vaticanae oeco penetalri, in throno suo purpurato, sedet Pius V.

---

<sup>1</sup> Hans Conrad Zander: „Geschichte von der Erfindung der Schokolade“, ex: Warum waren die Mönche so dick?: Wahre Komödien aus der Geschichte der Religion. Gütersloher Verlagshaus 2011. cap.8 Papst Pius V. und die Schokolade. Worin wir fasten lernen.

[https://books.google.de/books?id=BjvAV7P3ZpwC&pg=PT46&lpg=PT46&dq=hans+conrad+zander+geschichte+von+der+erfindung+der+schokolade&source=bl&ots=rBLkqq6icq&sig=a3qRwNoiwA\\_RanK4-Xj6rnG1g28&hl=de&sa=X&ved=0ahUKEwiYvev3jMAhWTzRoKHaheD00Q6AEIKTAB#v=onepage&q=hans%20conrad%20zander%20geschichte%20von%20der%20erfindung%20der%20schokolade&f=false](https://books.google.de/books?id=BjvAV7P3ZpwC&pg=PT46&lpg=PT46&dq=hans+conrad+zander+geschichte+von+der+erfindung+der+schokolade&source=bl&ots=rBLkqq6icq&sig=a3qRwNoiwA_RanK4-Xj6rnG1g28&hl=de&sa=X&ved=0ahUKEwiYvev3jMAhWTzRoKHaheD00Q6AEIKTAB#v=onepage&q=hans%20conrad%20zander%20geschichte%20von%20der%20erfindung%20der%20schokolade&f=false)

Papa, Pius Sanctus. Nec convenit hanc rem magis dramatice narrare quam facta est:

Ilo mane, 410 annis ante, Sanctus Pius muginat de rebus permultis – sed certe non de cocoa. Hic papa iam aetate quattuordecim annorum factus erat monachus, monachus ordinis Dominicanorum. Cursus honorum, quem Pius fecit hoc in ordine usque ad munus papale susceptum, a biographo ecclesiastico officiali comprehenditur his verbis: »*Inquisitoris officium inviolabili animi fortitudine diu sustinuit*«. Ut dicamus verbis aliis: Sanctus Pius certe non est vir cocoae addictus.

Monologo infinito papa hoc mane collegium cardinalium certius facit de novissima idea sua compulsiva: Papa Pius V. in Turcos praeparare vult expeditionem crucigeram omnium temporum maximam. Tandem unus ex cardinalibus audet verbis papae verbum intericere: »Pater Sancte, foris exspectat adhuc legatus episcoporum Mexici, *Frater Hieronymus Sancti Vincentii*. Qui urgenter rogat, ut Vestra Sanctitas ipsa diiudicet magnam controversiam cocoae Mexicanam«.



A.1502 Columbus in insula Guanaja, prope Honduriam hodiernam, convenit indianos, qui fabis cacaonis utuntur tamquam monetis. Columbus nondum cognoscit cacaonis utilitatem.

Haec relata sunt Sancto Patri a Fratre Hieronymo Sancti Vincentii mandatu episcoporum Mexici: Anno iam 1502 Columbus iter in Americam quartum faciens animadverterat Rubripelles ex fabis

amygdaliformibus confecisse potulentum fusci coloris. *Cacahaquahuitl* erat nomen arboris, *Cacahatl* appellabatur fructus, *Xocoatl* potulentum, quod ad gustum Europaeorum erat tam atrocis amaritudinis et pinguedinis, ut viginti annis post Hispani pugnatores Mexicum expugnantes eodem sumpto statim evomerent<sup>2</sup>.



**FERDINANDUS CORTESIUS  
(1485 - 1547)**



**AZTECAE COCOAM SORBILLANTES**

Verisimile est futurum fuisse, ut Hispani direptores praeter cetera omnia etiam deciderent Mexici ultimam arborem *cacahaquahuitl*, nisi una cum

<sup>2</sup> At Cortesius (aliter ac Columbus) cognoscit, quantum valeat hic potus: *Hic potus divinus et corpus et animum refocillat et repugnat fatigacioni. Uno tantum pocillo huius potulentis pretiosi sumpto vir per totum diem migret non esuriens.* (adn. interpretis).

calonibus huius exercitus efferati iter fecissent homines generis subtilioris. Qui duerunt missionarii: sacerdotes, monachi, nonnae, ut dicam uno verbo; homines, qui periti erant comedendi et bibendi. Medio fere saeculo in novis monasteriorum Americae meridionalis culinis incohata sunt experimenta audacia. Nam cogebant temporis angustiae. Modo cooperat Concilium Tridentinum, quod ita ut Concilium Vaticanum recentissimum fuit concilium reformati. At notio reformati illa aetate hodiernae aetatis notioni erat contraria: reformare illo tempore non erat id quod disciplinam remittere, sed intendere, e.g.: in monasteriis pracepta ieiunandi severius servare.



ECCE MONACHI MEXICANI COCOAM SOCOLATAMQUE FABRICANTES

Non certo scimus, cuius monasterii monachis gloria sit attribuenda, quod primi Concilium Tridentinum decepti erint. Verisimile hoc factum esse a nonnis Monasterii Caraë Nostrae Dominae *Guanaconis*, quae primae ingeniose invenerunt pinguamen esse a pulte cacaonis liquida secernendum, pulvi addenda esse et vanillam et saccharum, ut potus *xocoatl* taediosus ad libitum christianorum mutaretur in illam potionem delicatissimam, quam hodie appellamus *cocoam*. Necnon primis illis in mentem incidit hanc potionem non bibere frigidam, quem bibebant indiani, sed fervidam. Paulo post monachis coquis in Guatemala

versantibus id contigit, ut cocoam conficerent ad cibum non iam liquidum, sed solidum, in formam tabellarum redactum. En **socolatam** inventam!

Nunc autem cacaonis cupiditati non iam potuit temperari. Omnibus diebus ieunii paenitentiaeque in monasteriis Americae meridionalis fiebant cocoae socolataeque verae bacchationes. Nam haec res eo erat mirabile, quod bacchationibus cacaoticis nequaquam frangebantur Concilii Tridentini praecepta ieunandi severiora facta. In normis ex urbe Roma missis omnia quidem erant praescripta, quae spectabant ad carnes et pisces et ova. At de *xocoatl* nihil erat praeceptum. De cocoa socolatave papa ceterique concilii participes ne pauxillulum quidem suspicabantur.

Plebs christiana sat celeriter animadvertisit, in monasteriis quantae fierent helluationes ipso in tempore ieunandi. Flagranti cura audiendum est, in quantam morbositatem progressa sit pia cupiditas cocoae in provincia *Chiapas* mexicana. Ibidem enim dominae nobiles missa sacra exeunte non iam progressae sunt ad scamnum communionis sacrae, sed famulos iubebant sibi apponere pocillum cocoae vaporans. Vulgus autem admordebat socolatam contiformem<sup>3</sup>. Cum episcopus ipsius *Chiapas*, cui nomen fuit *Bernardo de Salazar*, hanc consuetudinem pravissimam fortiter impugnaret, ab zelatricibus cacaoticis veneno imbutus animam efflavit.

Nunc appropinquat momentum temporis historicum. Quantum scimus, quomodo illa audientia facta sit, Pius V. Papa animum omnino non attendit ad relationem mexicanam. Nam inquisitoris animus totus deditus est consiliis belli mirabilibus contra Turcos gerendi. Papa cardinalibus confitetur se nihil scire de quaestiuncula illa americana, immo se nescire, quomodo cocoa sapiat, se numquam in vita sua talis potionis ne aliquantulum quidem umquam gustavisse. At hoc contra dictum iri Frater Hieronymus Sancti Vincentii Mexicanus iam exspectavit. Qui officiose affirmat se de industria ex America secum attulisse cistulam cacaonis subtilissimae atque deliciosissimae. Nonne Sanctitas Sua pocillum cocoae velle gustare ad rem perquirendam?

Paulo post primum omnium in historia culina Vaticana fragrat cocoam vaporantem. Deinde pocillum cocoae Patri Sancto sollemniter offertur. Profecto hoc est momentum temporis sollemne. Primum omnium in historia fidei christiana problema dogmaticum solvit ratione empirica.

---

<sup>3</sup> \*socolata \*contiformis orig. *Schokolade von der Stange*. \*contiformis, -e: dicitur a contus, -i m. cfr nomen fungi botanicum, q.e. *Hymenochaete contiformis*.

Inquisitor odoratur. Inquisitor nictulit. Deinde animo capto inquisitor sumit haustum.

Eodem momento temporis os distorquet. Papa Pius V. taedio correptus concutitur. Necnon verba effatur illa illustrissima: »**POTUS ISTE NON FRANGIT IEIUNIUM**«. Sanctus Pius sentit potulentum tantae dulcedinis abominabilis a se non prohiberi, ne a iejunantibus bibatur, immo se omnibus christianis commendare, ut istud potulentum sumant tempore ieuniorum ad paenitentiam agendam. Procul dubio Papa Pius V. dulcibus praefert acida.



A.1544 LEGATI MAYARUM VISUNT PHILIPPUM AULAE HISPANICAE PRINCIPEM.  
CUM OFFERUNT CETERA TUM FABAS CACAONIS.

Nunc tandem cocoa atque socolata quadamtenus triumphum sunt acturae per catholicas coquinas Europae ratione Tridentina reformatas. Per Matritum cocoa affertur Romam, ubi in integrum saeculum fit cibus dilectissimus Italorum clericorum ieunia severe observantium. Ipsa in urbe Roma cuppedia sacerdotalis quantum progressa sit, optime cognoscimus ex iis circumstantiis tristibus, quibus *Sebastianus de Aparicio* est sanctificatus. Indicia nobis sunt, quibus demonstremus inter

causam sanctificandi protonotarium papalem corruptum esse octo libris socolatae, eius secretarium duabus libris. Tamen causa non processit. Nova demum corruptela sexaginta librarum socolatae a.1697 data Sebastianus de Aparicio tandem factus est sanctus.

Socolata summa cum inflammatione animi diligebatur atque fovebatur ab ordine lesuitarum. Itaque lesuita *Olonius Ferronius* publicavit »*Carmen arboris cacaonis*«<sup>4</sup> animo ferventissimo scriptum. lesuita autem *Andreas Forzabi* mundo donavit »*Elegiam in laudem cocolatis*«, et eius confrater *Thomas Strozzi* non potuit, quin scriberet hymnum 89 paginas impressas complectentem, c.t.: »*De mentis potu sive de chocolatis opificio*«.



A.1615 ANNA AUSTRIAEC PRINCIPISSA HABSBURGIANO-HISPANICA NUBIT REGI LUDOVICO XIII. FRANCOGALLIAE. PRAETER ALIA AB ANNA LUDOVICO DONATUR CISTA CACAONE COMPLETA.

Nunc referendum est illa aetate ipsa ordines lesitarum et Dominicarum graviter inter se litigavisse de gratia divina necnon de lucris inquisitionis. Quo dulcius lesuitae cantabant laudem socolatae, eo acerbiores fiebant animi Dominicanorum. Quamvis Papa Pius V. ipse fuerit dominicanus, eius ordo monachalis nunc saeculo septimo decimo ineunte suscipit acerbissimam expeditionem theologiae moralis contra socolatam

<sup>4</sup> Doleo quod in interreti neque inveni Olonium Ferronium Iesuitam neque eius opus, cuius titulus a Iohanne Conrado Zander affertur sermone theodisco: "Ode an den Kakaobaum".

parandam. Hac in re ipse *Daniel Concinus* monachus dominicanus rixari non desinens effatigatus est. Qui theologus moralis bene famatus dissertationibus numerosis de problemate cacaotico scriptis bilem effundit in lesuitas sibi exosos exosamque istorum socolatam.

Nunc non iam agebatur de iejunando. Dominicani enim in dies fortius affirmabant socolatae comesionem eo esse turpem, quod cacaoni inesset vis quaedam mysterialis, quoddam medicamen aphrodisiacum ...

<http://www.hans-conrad-zander.de/>



**Hans Conrad Zander** a.1937 Turici natus est. Qui fuit monachus ordinis Dominicanorum, relator diurnarius periodici, q.d. »Stern« (praemium Kischianum accepit a.1983) et in universitate Essensi munere functus est professoris hospitis. Iohannes Conradus innotuit auctor ipsius stationis radiotelevisificae WDR (»Zeitzeichen«) librorum realium et satiricorum, qui spectant ad historiam, praesertim historiam religionis (»Von der Leichtigkeit der Religion«, »König David im Café«, »Zehn Argumente für den Zölibat «, »Zanderfilets«).

**RELATIUNCULAM IOCOSAM**

***Geschichte von der Erfindung der Schokolade***

**QUAM SCRIPSIT**

**HANS CONRAD ZANDER**

**IN LATINUM CONVERTIT  
IMAGINIBUSQUE INSTRUXIT  
ADDITICIIS**

**NICOLAUS GROSS**



**LEO LATINUS**

<http://www.leolatinus.de/>

## **ECCE FABULA ROMANICA**

**Christoph Martin Wieland**

## **HISTORIA AGATHONIS (LIB. I)**

**(*Die Geschichte des Agathon, Buch I*)**



## **QUAM FABULAM IN LATINUM CONVERTIT**

**Nicolaus Groß**



**LEO LATINUS**

<http://www.leolatinus.com/>

**CD ROM pdf**

**€ 19,50**

**Hic discus compactus textualis constat 19,50 € et directê per epistulam electronicam mandari potest a domo editoriâ, quae appellatur LEO LATINUS: SPQR@LEOLATINUS.COM  
TOLLE LEGE !**

## DE FLUENTO ELECTRICO ENERGIA NUCLEARI GENERATO<sup>1</sup>

Calamitates nucleares anno 1979 in Trium Milium Insula (*Three Mile Island*), et anno 1986 in *Chernobylia* magnum energiae nuclearis periculum ostenderunt; causae in eorum delineamentis constructivis positae sunt; anno vero 2011 in Fucusima<sup>2</sup> calamitas facta est terrae motu graduum octo et novem centesimarum (8,9) in scala Richteriana, qui illud oppidum violenter quassavit; inde electricinarum nuclearium ubique metus. Earum tamen calamitatum scientia et usu evenit, ut securitas in eis melior aptiorque fieret; itaque anno 2014 in toto orbe terrarum septuaginta novae electricinae nucleares exstructae sunt, quarum 35 tantum in Asia et Extremo Oriente.

Eae quae iam sunt in usu energiam electricam in viginti novem nationibus nunc generant vel in Francogallia, ubi ex omni energia electrica 76,9% (septuaginta sex – virgula – novem partes centesimales) ex fissione nucleari producuntur; eodem energiae genere in Civitatibus Unitis Americae quotannis septingenti nonaginta octo biliones (798□10<sup>9</sup>) chiliovattihorarum (KWh) gignuntur.

Iam vero progressus oeconomicus pendet ab energia praesertim electrica, quod est conspicuum, nam sine energia nulla officina vel machina productiva, nullum autocarrum vel vehiculum motorium moveretur. Immo, quo energia copiosior habeatur, eo nationes magis progrediuntur. Exemplum ex Canada et India afferre possumus: anno igitur 2014 in Canada fere milia sedecim (16.000) KWh per capita gigneantur et proventus capitati erat dollariorum triginta octo milium (38.000); hic rerum status comparandus est cum statu Indiae, ubi 600 KWh per capita gignuntur et vix 800 dollaria a singulis incolis accipiuntur (haec omnia indicamus numeris approximativis).

Omnium autem energiae fontium vilissimus est carbo, immo ut uni kiliovattihorae in Civitatibus Unitis anno 2014 impendebantur dollarii 3 centesimae et 39 milesimae (3,39 c/US\$); quod attinet ad contaminationem, carbo carbonei dioxydati tonnas per gigavattiohoram<sup>3</sup> mille quinquaginta octo (1058/GWh) gignit, sed electricina nuclearis solum tonnas octo et sescenta chilogramma (8,6 GWh). Sunt quidem energiae fontes qui etiam minorem contaminationem gignunt, e.g. energia venti, aquae, solis, quae tamen per intervalla producunt vel cum sol lucet vel sufflat ventus; energia hydroelectrica ab aquis affluentibus pendet. Quamquam electricinae atomicae fluentum electricum vili pretio gignunt (in Civitatibus Unitis anno 2014 uni chiliovattihorae dollarii duae centesimae et 40 milesimae [2,40 c/U\$] sufficient), tamen earum constructio magnis opibus eget. His novissimis autem annis energia e

fontibus limpidis in dies magis exquiritur, adeo ut eorum pretium paulatim minuat; quae antea magni pretii erant et sine subsidio fiscali contrui vix poterant, nunc autem ventimolinae et laminae solares et electriciniae quoque nucleares ubique eminent; utinam inde fiat, ut et petroleo atque materiis combustibilibus fossilibusque minus egeamus et aere circumdemur puriore, praesertim in urbibus.

1 Pagina excerpta ex opusculo c.t. (Hisp.) *Energía nuclear: ¿Una alternativa para Chile?*, de Susana Jiménez S., Libertad y Desarrollo, Serie Informe Económico 254, febrero 2016, Santiago de Chile, ISSN 0717-1536.

2 Egger, Carolus: *Lexicon nominum locorum*, Officina Libraria Vaticana, 1985.

3 1 kilovattiora = 1 milio kilovariorum in singulas horas generatorum.

## **SYMBOLAM SUSANNAE JIMÉNEZ S.**

**C.T.**

*Energía nuclear: ¿Una alternativa para Chile?,  
(Libertad y Desarrollo, Serie Informe Económico 254, febrero 2016,  
Santiago de Chile, ISSN 0717-1536).*

**IN LATINUM CONVERTIT**

**PAULUS (*Pablo*) KANGISER**

**CHILIANUS IACOBOPOLITANUS  
(*Santiago de Chile*)**

# CREPUSCULUM

**Arturi Caroli Clarke scientiae ficticiae narratio brevis<sup>1</sup>**

*ex Anglico sermone in Latinum convertit Marcus Cristini*

Per saecula tria parva civitas hic in sinu amnis steterat, dum fama eius per mundum diffundebatur. Tempus mutationesque rerum paulum eam tetigerant; illa e longinquo adventum Invincibilis Classis necnon occasum Tertii Imperii audiverat, omnibus bellis hominum eam praetereuntibus.

Nunc elapsa est, quasi numquam exstitisset. Punctum temporis labores et divitias saeculorum consumpserat. Viae evanidae, vestigia pallentia in vitro solo, adhuc cerni poterant, sed domorum nihil mansit. Chalybs vel caementum, calx vel quercus antiqua, postremo parum materia valuit. In hora mortis omnia aequa steterant, transfixa luce pyroboli flagrantis. Deinde, priusquam incendi potuerunt, fluctus conflagrationis ea adepti erant et cuncta esse desierant. Hemisphaerium flammarum edax milia et milia passuum supra villas processerat atque a corde eius ortus erat fungus ille torquens, qui mentes hominum tam longe et tam vane terruerat.

Animalis vagantis instar missile<sup>2</sup> illud fuerat, inter extrema quae iacta sunt. Difficile est reri, quo ei volandum fuerit. Certe non Londinium, cum Londinium iam nulla civitas impetu hostili digna esset. Revera Londinium iam nulla quidem civitas erat. Longe antehac homines, qui munere hoc fungebantur, decreverant pyrobola tria hydrogenica illi satis humili loco sufficere. Viginti miserunt, fortasse paululum studiosiores fuerant.

---

1 Narratio brevis haec, Anglice *Nightfall* nuncupata, primum publici iuris facta est in *King's College Review* AD 1947, deinde collecta est cum titulo *The Curse (Execratio)* in *Reach for Tomorrow*. Postremo edita est in A.C. CLARKE, *The Collected Short Stories of Arthur C. Clarke*, Tom Doherty Associates Book, Novi Eboraci 2000, pp. 89-91.

2 Anglice *rocket*. Cfr. EGGER, *Lexicon Recentis Latinitatis*, Libraria Editoria Vaticana, vol. II, Romae 1997, p. 49, s.v. *Missile*. Diu cunctatus sum num verbum *rocket* “missile” aut “rucheta”, ut saepe legitur, in Latinum sermonem convertendum esset. Verbum *rucheta* sine dubio similius est verbo Anglico *rocket* vel Theodisco *Rakete*, at in operibus auctorum Latinorum haud invenitur. Verbum “missile”, contra, Livius (34, 39) Vergilius (*Aen.* 10, 716) Lucanusque (7, 485) usurpaverunt, qua de causa arbitror missile ruchetae preeferendum esse. Insuper verbum “missile” adest in lingua Italica, Anglica, Francogallica et, licet paulisper mutatum, Hispanica (*misil*). Aliquis dixerit missilia a ruchetis (Italice *razzi*, Anglice *rockets*, Theodisce *Raketen*) differre. Quod falsum haud est, arma tamen volantia secumque pyrobola atomica ferentia, Italico saltem sermone, melius missilia quam ruchetae vocabantur. In *Vicipaedia Latina*, s.v. *rocheta* seu *rucheta*, nexus interretiale vidi ad nuntium *Ephemeridis* de tromocratis Laciniae Gazeticae, qui talibus armis pugnare solent. Qoad ad tela haec attinet, censeo verbum ruchetam idoneum esse, cum arma ista multo minora sint quam missilia atomica. His dictis arbitror, mea quidem sententia, missilia nuncupanda esse arma grandia et fabricatu sumptuosa e navibus, aeroplanis vel stationibus militaribus iacta, ruchetas (vel, fortasse, falaricas) tela facile et vili pretio confecta, quibus tromocratae Hamasiani vel Afgani saepe utuntur.

Pyrobolum illud non horum viginti gregi annumerabatur, quae tam bene negotium eorum confecerant. Unde venisset et quo iisset, incognitum erat: utrum super solitudines arcticas an procul super atlanticas aquas iter fecisset, nemo dixerit et pauci nunc scire cupiebant. Olim homines istarum rerum consciī fuerunt, qui missilia volitantia longe aspexerant et illa eorum obviam coniecerant. Saepe in loco constituto, in excelsis, ubi caelum atrum erat et sol astraque firmamentum tenebant, missilia obvia missilibus ruebant. Igitur momento temporis ignis incredibilis eruperat, mittens ad sidera nuntium, quem saeculis futuris oculi haud humani conspicere et intellegere poterunt.

Diebus tamen peractis id accidit, initio belli. Defensores iam longe extinti erant, cadendum erat, ut illi bene sciebant. Vitam servaverant eo, ut officium eorum perficerent; hostis errorem suum serius cognoverat. Nullum aliud missile iactus erat; illa etiam tunc volitantia miserat ante horas per itinera abscondita, quibus pervenerant extra caelum. Nunc redibant, haud gubernata, inertia, frustra expectantia signa quae ea ducerent ad metas constitutas. Alterum post alterum cadebant sine ratione super mundum, quem iam vulnerare nequibant.

Flumen iamdudum ultra ripas fluxerat, aliquo loco in inferiore parte cursus eius terra immani mallei ictu concussa erat et iter ad mare non amplius patebat. Pulvis cadebat, pluviae subtilis instar, et casura erat per dies innumerabiles, dum hominum urbes et divitiae redibant ad terram, quae eas pepererat. At caelum non amplius plane obscurum erat atque in occidenti plaga sol inter iratarum turmas nubium subibat.

Olim ecclesia hic, super ripam amnis, steterat; quamquam ne vestigia quidem illius manebant, lapides, quos innumerabiles anni circum aedificium congregaverant, situm eius adhuc patefaciebant. Nunc lapides parallelis lineis iacebant, in imo fractae, mutae indicabant originem conflagrationis. Illae partim in terra erant stratae, partim erant ruptae bullisque ob terribilem calorem obrutae. Multae tamen etiamtunc ostendebant inscriptiones, quae frustra per saecula transmiserant.

Lux ad occasum fugit et inusitatus color purpureus a caelo abiit. Tamen inscriptiones adhuc legi poterant, cum constanti, haud titubanti fulgore, tam debili, ut cerni die non posset, sed tam forti, ut noctem depelleret, illuminarentur. Terra ardebat, de nubibus longo spatio fulgor roboris radiantis nitebat. Per loca micantia taeniae tenebricosae instar amnis, qui constanter dilatabatur, fluebat et aquis terram submergentibus fulgor ille terribilis pergebat immutatus in profundis. Fortasse aetate una hominum peracta ardor iste a conspectu evanescet, sed fieri potest, ut anni centum dilabantur, priusquam vita tute redire poterit.

Leviter aquae lapidem antiquum tetigerunt, qui longius quam ter centum annos manserat ante dissolutum altare. Ecclesia, quae tam diu eam incluserat, ad extremum praesidium quoddam illi praebuerat et solum petrae levis pallor flamas hac transisse ostendebat. In cadaverosa luce terrae morientis verba desueta, aqua circum ea crescente et minutis undis crispante, etiam tunc aspici poterant. Linea post lineam inscriptionis, quam plus deciens centena milia hominum spectaverant, sub aquas subigentes lapsa est. Brevi tempore litterae ambigue adhuc cernebantur, denique in aeternum extinctae sunt.

*Amice bone, in nomine Jesu siste,  
ne fodias pulverem hic inclusam.  
Benedictus qui saxis his parcit,  
Et maledictus qui ossa mea excutit<sup>3</sup>.*

Tranquillus in perpetuum securusque nunc poeta requiescere poterat: in silentio et obscuritate super eius caput Avona ostium novum ad mare petebat.

Adnotatio auctoris: "Crepusculum", etiam "Execratio" nuncupatum, cogitatum est dum visitabam sepulcrum Shakesperii, cum militarem Stratfordiae super Avonam docens Regiae Aeris Militiae Radiodectoriae machinatores, experiens quod solum ante decem annos scientia ficticia erat, et hoc narrationem istam memoria digniorem reddit<sup>4</sup>.

---

3 Epitaphium Villelmi Shakesperii est, Stratfordiae super Avonam situm. Verba sermone Anglico antiquo originaliter scripta sunt haec:

*Good frend for Iesus sake forbear,  
To digg the dust encloased heare.  
Blese be ye man yt spares thes stones,  
And curst be he yt moves my bones.  
Id est, sermone Anglico moderno:  
Good friend for Jesus' sake forbear,  
To dig the dust enclosed here.  
Blessed be the man that spares these stones,  
And cursed be he that moves my bones.*

4 Verba haec Arturi C. Clarke scripta sunt ante narrationem brevem in *The Collected Short Stories of Arthur C. Clarke*, p. 89.

**CREPUSCULUM**

**I.E.**

**FABULAM SCIENTIAE FICTICIAE**

**CUIUS TITULUS ORIGINALIS EST**

**» NIGHTFALL «**

**QUAM SCRIPSIT**

**ARTURUS CAROLUS CLARKE**

**EX ANGLICO SERMONE IN LATINUM  
CONVERTIT**

**MARCUS CRISTINI**

**ITALUS BRIXIANUS**

## ECHUS VOCES

### **HENRICUS SOLINIUS (i.e. Heikki Solin) FINNUS PROFESSOR HELSINKIENSIS**

D.10 m.Maii a.2016 h.08:10

**Henricus Solinius** Leoni Latino suo plurimam perpetuamque salutem

S.v.b.e.e.v.

Annis volventibus mihi qua es humanitate Epistulas Leoninas misisti. Nescio qua de causa mihi autem desunt numeri LXXXIX, XC, XCIV, IC, CI. Mihi pergratum esset, si numeris his me donare velles. –

Gratias agens tibi parvum commentariolum Latine scriptum mittam. Vale H.

### **CLAUS PLANTIKO**

Sun, 8 May 2016 20:04:32 +0200

Sehr geehrter Herr Groß,

vielen Dank für Ihre bewundernswerten lehrreichen Ausarbeitungen in Latein mit schönen Bildern. - Zum Kakao habe ich einen kleinen Beitrag. Hans Konrad Zander berichtete in der WDR-5-Sendung Zeitzeichen vor einiger Zeit auch über den Kakao und wie er als Getränk in der Fastenzeit zugelassen wurde. Eine Abordnung frommer Kirchenleute aus Mexiko fuhr zum Papst und bereitete ihm eine Tasse Kakao mit der Bitte, ihn als Fastengetränk zu erlauben. Der Heilige Vater nahm einen Schluck und sprach die denkwürdigen Worte: "Potus iste non frangit ieiunium." Ich weiß nicht mehr, welcher Papst und wann es war, aber die Geschichte ist in der katholischen Kirche sicher dokumentiert. - Mit freundlichen Grüßen Claus Plantiko.

### **WERNER HÜMMERICH**

Lieber Herr Gross, ich habe heute die 78,-Euro für Crabatus und Hotzenplotzius überwiesen und freue mich schon auf die beiden Bücher . Der parvus Nicolaus ist schon länger in meinem Besitz und hat mir vergnügliche Stunden bereitet .Ich bin sicher ,daß das bei den Neuen nicht anders sein wird .Bitte senden Sie die Bücher an obige Anschrift. Mit besten Grüßen Werner Hümmrich

### **PAULUS KANGISER CHILIANUS IACOBOPOLITANUS**

Paulus Kangiser Nicolao Gross s.d. Si memini, anno 2011 provocationem ad UNESCO subscrispsi eo consilio ut linguae Latina et Graeca Patrimonium Humanitatis (id est Generis Humani) crearentur; tu quoque fortasse fecisti. Huius incepti dux Prof. Aloisius Miraglia se praebuit, quem multi humanissimi viri secuti sunt; quamquam eventum in UNESCO pagina interretiali quaesivi nullam declarationem pro linguis classicis inveni (nescio an de re certior factus sis); dum autem quaero in interrete, paginam UNESCO reperi c.t. (Hisp.) DECLARACIÓN DE MÉXICO SOBRE POLÍTICAS CULTURALES<sup>[1]</sup> (DECLARATIONEM MEXICANAM DE POLITICIS [ACTIONIBUS] CULTURALIBUS) anno 1982 factam in Congressu UNESCO Mundano. Ibi 54 principia de rebus culturalibus exponuntur; inter alia haec:

\* Omnes culturae ad Humanitatis Patrimonium pertinent (principium 4)

\*Communitas Internationalis declarat suum esse officium custodire et servare et tutare identitatem cuiusque populi culturalem (pr.7)

\*Homines multi [...] cupiunt [...] Rerum Naturam esse servatam (pr.13)

\*Agitur praecipue de novis viis ad democratiam aperiendis [···] (pr.19)

\*Patrimonium saepe vexatum est vel deletum ab incuria atque urbium occupatione, industrializatione ususque technologiarum [···] (pr.25)

\*Necesse est revalidare linguas nationales (sive vernaculae) prout sapientiae instrumenta (pr.33)

\*Congressus confirmat elementa educativa et culturalia maxime necessaria esse ut novum ordinem oeconomicum internationalem statuatur (pr. 50)

Ut mihi autem videtur nullam dari viam ad linguas classicas ex UNESCO colendas, sed unice ad nationales; abest ab eo Ordine Internationali cultus civilis classicus; immo: culturam praesertim in rem politicam impellere cupiunt; ergo nullum ab organizationibus internationalibus, neque ut puto ab statalibus, auxilium habebimus ut Latinitatem Graecamque linguam servemus; nos igitur ipsi operam naviter dare debemus, litteris cottidie sedule exultis; quapropter tibi, qui hebdomadaliter litteras Leolatinas mittis, gratias agere oportet.

## MARCUS CRISTINI ITALUS BRIXIANUS

Marcus Nicolao s.p.d.

Care Nicolae, gratias tibi ago pro *Epistulis Leoninis* mihi missis, munuscula sunt mihi gratissima. Gaudeo, quod symbolam meam de sempervivis edidisti, plantis profecto humilibus, pulcherrimis tamen, mea quidem sententia. -

Commentarios tuos de quaestione Iohannea, ut ita dicam, libenter legi, praesertim illum de *Apocalypsi*. Homines enim omni aevo mundi finem variis modis mente finixerunt; nunc plurimis in pelliculis cinematographicis longe lateque orbis occasus ob hominum bella vel silvarum pelagorumque vastationem ac pollutionem narratur. Apocalypses tamen sensu stricto istae haud sunt, cum virorum mulierumque gressu minimus modo maior semper in terris (vel extra sidera) supersit. Contra Bello Frigido flagrante scriptores nonnulli animo conceperunt bellum immane pyrobolis atomicis pugnatum, quod humanitatem cunctam deleret. Inter quos fuit et Arturus Carolus Clarke, clarus auctor libri, qui *2001: Odyssea Sideralis* nuncupatur. Ille narrationes breves venustas multas scripsit, e quibus illa *Crepusculum* (Anglice *Nightfall*) inscripta eminet, quoniam Apocalypsin quandam atomicam eleganti stilo exprimit. Cum de his cogitarem mihi venit in mentem neminem (nisi fallor) scriptum Arturi C. Clarke in Caesaris linguam umquam reddidisse, itaque narrationem hanc ex Anglico sermone in Latinum converti. Tibi interpretationem meam mitto ita ut statuere possis, num illa publicatione digna tibi videatur. Si verba Anglicula legere cupis, illa facile in interreti (<https://books.google.it/books?id=2cqEEEtynQC&pg=PT83&lpg=PT83&dq=clarke+nightfall&source=bl&ots=xTGAj4Gln&sig=5VGtYeliibsgGQxauOtDjG8qd2o&hl=it&sa=X&ved=0ahUKEwiG79nxhNXMAhVBfxoKHfvnD58Q6AEIMDAC#v=onepage&q=cclarke%20nightfall&f=false>) invenies. Optime vale.

**Thomas, Volframus, Robertus, Uvius, Mechtildis Amicis Latinitatis  
Vivae Plurimam Dicunt Salutem**

**Hoc nuntio in memoriam vobis Septimanias Latinas revocare nobis  
propositum est.**

## **SEPTIMANAE LATINAЕ**

**Hoc anno iterum duas instituemus Septimanias Latinas  
Europaeas: Frisingae in Bavaria Superiore et Amoeneburgi  
prope Marburgum.**

**Vos ergo invitamus ad ambas Septimanias Latinas:  
Septimana Latina XXXIII a die Saturni XXX mensis Iulii ad  
diem Saturni VI mensis Augusti Amoeneburgi fiet.  
Septimana Latina XXXIV a die Solis XXI ad diem Saturni  
XXVII mensis Augusti Frisingae instituetur.  
Omnia quae ad Septimanias Latinas Europaeas pertinent,  
hic invenietis: <http://www.septimanalatina.org>**

**Speramus fore, ut vos aestate Frisingae vel Amoeneburgi  
salutare possimus.**

**Qui ceterum nonnulla de re coquinaria Romana comperire  
velit poterit hanc spectare pelliculam:  
[http://video.spiegel.de/flash/10/53/1603501\\_1024x576\\_H264  
\\_HQ.mp4](http://video.spiegel.de/flash/10/53/1603501_1024x576_H264_HQ.mp4)**

**Optime valete!**

---

Thomas Gölzhäuser, Wolfram Bohmhammel, Robert Maier, Uvius Fonticola, Mechtild  
Hofmann

---

Europäische Lateinwochen e. V. Frankfurt a. M.  
Vorsitzender: Thomas Gölzhäuser  
Chattenhöhe 5  
D-35630 Ehringshausen  
E-Mail: [info@septimanalatina.org](mailto:info@septimanalatina.org)  
WWW: [www.septimanalatina.org](http://www.septimanalatina.org)

---

# CERTAMEN LATINVM SALESIANVM

## A. MMXVII

Sollemnis praemiorum attributio iis omnibus qui ex ordine vicerint Romae habebitur apud ipsam Universitatem Pontificiam Salesianam, die XXII m. Februarii anni MMXVII, qua die Facultas Litterarum Christianarum et Classicarum, quotannis, celebratur condita. Exinde, academica habita acroasi, cuius programma certo tempore innotescet, et participum coetu expleto, amicale convivium victoribus praebebitur eorumque propinquis, qui eosdem comitentur.

### PRAEMIA CULTORIBUS TRIBUENDA

*Quod ad prosam et quod ad poesim:*

*Primum praemium: 500 euronummum erit una cum Diplomate*

*Secundum praemium: 300 euronummum erit una cum diplomate*

*Tertium praemium: 200 euronummum erit una cum diplomate*

### PRAEMIA DISCIPULIS TRIBUENDA

*Quod ad prosam et quod ad poesim:*

*Primum praemium: 300 euronummum erit una cum diplomate*

*Secundum praemium: 200 euronummum erit una cum diplomate*

*Tertium praemium: 100 euronummum erit una cum diplomate*

**Petitores autem qui a iudicibus laude digni habiti sint, usque ad tres, nulla addita pecunia, laude ornabuntur, quae uno tantum diplomate constat.**

### PROPOSITVM A. MMXVI Romae

Scriptiones omnes certaminis utriusque quae vel praemiis, vel laude ornatae sint Facultas Litterarum Christianarum et Classicarum typis uno volumine edendas curabit eiusque quinque deinde exemplaria per publicos tabellarios ad proprium domicilium auctores gratis accipient. Si quis autem eorum voluminis specimina numero maiora sibi petierit, haec eadem, additis expensis cursualibus, expostulet

apud: **LAS (Libreria Editrice Salesiana), Piazza dell'Ateneo Salesiano, 1, 00139 Roma,** quae venditionis pretium cum auctore statuendum curabit et libros ad eundem mittet.

Tres, praeterea, iudices, quorum unus ceteris praerit, scripta omnia quae ad certamen lata sint summa cura expendent. Facultas Litterarum Christianarum et Classicarum apud se unum tantum retinebit antigraphum opusculi cuiusque, cetera autem legitimis auctoribus non redditur et chartariis cum involucris delebuntur.

### CERTAMEN LATINVM SALESIANVM

Curante et auspice Facultate Litterarum Christianarum et Classicarum Pontificiae Universitatis Salesianae, quae est in urbe Roma, annis alternis, linguae Latinae certamen proponitur partim vero professoribus et cultoribus destinatum, partim autem alumnis lyceorum studiorumque universitatum, qui per orbem terrarum his studiis dediti sint.

Ab universis scriptorum auctoribus id enixe exquiritur, ut ea sint ab ipso auctore inventa neque ab aliis operibus et antiquis et recentioribus, cum adstricta, tum soluta oratione compositis, ne minima quidem ex parte, per translationem deprompta neque in aliis

litterarum Latinarum certaminibus praemio, vel laude honestata, sunto autem proposita aut sub forma narrationis, aut versibus, cuilibet metro vinctis, iuxta prosodicas classicorum poetarum leges compositis, nec non talia quae ad res hominesque nostrae aetatis cum ingenio respiciant atque eorum studia, vel animorum motus et sensus scite valeant describere. *Itaque, ex certamine utroque scriptiones omnes excipientur sive quae his normis non responderint, sive quae ad res didacticas, commentationes philologas, litterarias, philosophicas, historicas varium genus spectare videbuntur.*

## **NORMAE**

Uno tantum opere, quod ad prosam, uno quod ad poesim, a petitoribus universis certamen potest adiri, quattuor eiusdem libelli missis ad iudices exemplaribus, vel instrumento computatorio, typis in scribendo adhibitis, qui sub signo Times 12 notantur, cum mensura 1,5 spatii inter lineas in folio exaratas, vel machinula scriptoria electronica effictis. Quattuor operum suorum exemplaria per ordinarium tabellariorum cursum mittent scriptores omnes ad: Certamen Latinum Salesianum – Università Pontificia Salesiana – Facoltà di Lettere Cristiane e Classiche – Piazza dell’Ateneo Salesiano, 1, 00139 Roma, non ultra diem XXXI m. Octobris anni MMXVI. Uni tantum victores de exitu certaminis fient certiores in novissima hebdomade mensis Ianuarii anni MMXVII.

## **AD PROSAM**

*Cultorum narrationes non minus 5 paginis constabunt (iuxta folii cuiusque formam A 4) neque limitem 15 paginarum excedent, sententiola quadam munitae, quam scriptor referre debet una cum sui ipsius nomine, domicilio, telephonii portabilis numero, vel, si voluerit, sui cursus electronici inscriptione, in scidula chartario involucro inclusa et opportune obsignata. Discipulorum autem narrationes non minus 2 paginis cum dimidio constabunt (iuxta folii cuiusque formam A 4) neque limitem 5 paginarum excedent, sententiola quadam munitae, quam scriptor referre debet una cum sui ipsius nomine, domicilio, telephonii portabilis numero, vel, si voluerit, sui cursus electronici inscriptione, in scidula chartario involucro inclusa et opportune obsignata, addito, praeterea, vel lycei vel studiorum universitatis nomine, cuius, praeside teste, se esse auditorem profitetur.*

## **AD POESIM**

*Cultorum carmina, quibus facultas est quodvis sibi eligere ad tractandum argumentum, non minus 50 versibus constabunt (iuxta folii cuiusque formam A 4) neque limitem 250 versuum excedent, sententiola quadam munita, quam scriptor referre debet una cum sui ipsius nomine, domicilio, telephonii portabilis numero, vel, si voluerit, sui cursus electronici inscriptione, in scidula chartario involucro inclusa et opportune obsignata. Discipulorum autem carmina, quibus facultas est quodvis sibi eligere ad tractandum argumentum, non minus 25 versibus constabunt (iuxta folii cuiusque formam A 4) neque limitem 50 versuum excedent, sententiola quadam munita, quam scriptor referre debet una cum sui ipsius nomine, domicilio, telephonii portabilis numero, vel, si voluerit, sui cursus electronici inscriptione, in scidula chartario involucro inclusa, addito, praeterea, vel lycei vel studiorum universitatis nomine, cuius, praeside teste, se esse auditorem profitetur.*

**Quattuor operum suorum exemplaria per ordinarium tabellariorum cursum mittent scriptores omnes ad: Certamen Latinum Salesianum – Università Pontificia Salesiana – Facoltà di Lettere Cristiane e Classiche – Piazza dell’Ateneo Salesiano, 1, 00139 Roma, non ultra diem XXXI m. Octobris anni MMXVI. Uni tantum victores de exitu certaminis fient certiores in novissima hebdomade mensis Ianuarii anni MMXVII.**

**HANC EPISTULAM LEONINAM  
CENTESIMAM QUINTAM**

**SENDEN IN OPPIDULO BAVARIAE SUEBICAE PERFECIT**

**Die Dominico Pentecostali, d. 15. m.Maii a.2016**

**Nicolaus Groß**

**LEO LATINUS**



**<http://www.leolatinus.de/>**